

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio Philologica Qua Al Tehî Tsadik Harbeh Ve-'al  
Tirsha' Harbeh Sive Nimium Iustitiae Et Improbatis  
Salomonis, Coheleth. VII. 16. 17. ...**

**Clauswitz, Benedikt Gottlieb  
Keyselitz, Gottlieb**

**Lipsiae, 1721**

**VD18 11528834**

**§. V.**

[urn:nbn:de:bsz:31-130295](#)

*homo impatiens in adversis sibi nimiam justitiam & innocentiam imaginetur.* Videntur autem Mercerus & Schmidius versus hos cum nostris versibus ita conjunxisse, quod encomium sapientiae in genere interjectum abruptum nimis inter v. 18 & 21. videretur: quod v. 20. per **וְ** conjunctus priori rationem sistere praecedentis versus videretur, quam tamen sensu satis commodo v. 20 non exhibeat: denique quod v. 20. parænesi versus 16. subordinari posset. Ast primum quidem insolitum non est Salomoni inter alia argumenta in encomium sapientiae abrupta etiam oratione excurrere, ut patet Cap VII. II. VIII. I. IX. 13. X. 10. Porro insuetum est **וְ** hanc sapientiam vertere, ut vel timor Dei præcise, de quo in praecedentibus sermo fuit, vel præcise studium quo quis inter lenitatem nimiam & rigorem nimium medium servat, designetur; siquidem **וְ** etiam cum **וְ** demonstr alibi apud Salomonem in genere sapientiam notat. Cap. I. 13. II. 3. 21. VII. 12. 23. ut non præcise ad praecedentia restringatur. Ea vero quæ hoc loco de sapientia prædicantur, de sapientia in genere a apud ipsum Salomonem nostrum dicuntur Cap. IX. 18. Prov. XXI. 22. XXIV. 5. Denique si v. 20. rationem argumenti v. 16. & 17 propositi exhibere deberet, rationem non satis dilucide utriusque paræneos redderet; quod si vero ad priorem tantum pertinet, subordinatio remotior & obscurior est. Non igitur, salvis tamen aliorum judiciis, ultra v. 8. quæ ad argumentum nostrum pertinent, quærenda videntur. Tum vero v. 19 & 20. forte ita cohærent, sapientiae studendum esse ut tutus aliquis sit, eam enim naturæ nostræ conditionem esse, ut multis nos peccatis & per ea periculis exponat.

## §. V.

In ipso autem textu occurrit primum particula **וְ** qua constructa cum futuro utuntur Hebræi, quando voluntatem, qua aliquid fieri nolumus, significamus. Fit hoc

hoc autem, quando sermonem ad illum, a quo hoc vel illud omitti cupimus, vel prohibendo, vel dissuadendo, vel deprecando dirigimus, prout vel superiorem, vel parem, vel inferiorem invenimus. Fit etiam quando per modum voti de nobis ipsis Num. XI. 15. vel de persona tertia Jer. IX. 22. Deut. XXXIII. v. 6. quid fieri nolimus declaramus, ut alias notiones vel inusitatas vel incertas prætermittamus. In toto enim Coheleth, quoties hæc particula occurrit Cap. V. 1. 3. VII. 9. 10. VIII. 3. X. 20. XI. 6. perpetuo interdicitionem recipit, quæ & nostro loco satis accommodata est, cum Salomo doctoris instar regulas virtutis præscribendo animum a re fugienda malo annexo avocet.

## §. VI.

Sequitur vox **תְּרִיכָה** quæ derivata ab **תְּרִיכָה**, quoties est tertii adjecti notat, de **χέρεσ** prædicati ad subjectum aliquid enunciat. Hanc vero vel consummatam de subjecto prædicat, atque ita responder Græcorum **έρεγ**: vel inchoandom & consummatam, quo sensu idem quod Græcorum **γλεδαν** significat exempla vide apud Coccejum in Lexico (e) vel perpetuo duraturam, ut patet ex loco Gen. XXVII, 33. Quæ si ad nostrum locum referantur, sensus vocis is est, ut Salomo statum illum, quo quis est **צַדִּיק רְבָרְךָ** respectu tyronis sui ita aversetur, ut hic si illum plâne non induerit, neque jam induat, si vero jam quodammmodo in hunc statum devenerit, eum non continuet.

## §. VII.

Quod vox **מִזְרָח** accurate ad notionem **מִזְרָח** accedit, ita ut viam notet cuius superficies æquabilis atque adeo pedibus tuta sit ex Psalm. XXIII, 2. nondum sat is probasse videtur Gussetius (d), id tamen certum est quod justum notet, h. e. in genere illum, qui a culpa legis

(c) p. 178. (d) in Comuent. Hebr. Lingue.